

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hermann Hardt von der

**Hermann von der Hardt Ad Oratorem eloquentem Eberhardvm Finivm, Ecclesiæ  
Cathedralis S. Blasii apud Brunsvicenses Pastorem solertissimum De difficili  
interpretum negotio Epistola**

[Wolfenbüttel]: [s.n.], [1705]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821902334>

Druck    Freier  Zugang



171-3

~~4087 1-3~~  
~~4088 1-2~~

F.C. 4087<sup>1-3</sup>.

Explanatio  
Universalis Exegesior Elementa.  
P. D. vocatis abctdamo  
atality ad Rostenn̄.  
— ad Finium d. Difficili inter-  
rectū negotio.  
— ad Lindenbergn̄ d. sermone  
sumano.  
Nicol. d. Clemangis d. Dieb.  
festis ex abbatis.  
Theodili Palm. 45.  
Hardt d. 4. c. Nonaresis  
Babylonie.

Pr. 60 p. - 8.  
32 p. - 2.  
15 p. - 2.

22 p. - 5.  
Pr. 54 p. - 5.  
118 p. - 8.

~~4 16.~~

Pr. 44 p. - 10  
min. Parodie auf Landt Vorwurf  
v. goß. Enth. 1722. p. 360.

04087.53

HERMANNI von der Hardt

Ad

*Oratorem eloquentem*

EBERHARDVM  
FINIVM,

Ecclesiæ Cathedralis S. Blasii apud  
Brunsvicenses Pastorem soler-  
tissimum

De diffcili interpretum  
negotio  
EPISTOLA.

HERMANIUS DE SOUTHE

VI

Quatuor Libri de Historia

EBERHARDI

BUTI

Technicae Cuiusdam & Breviis

Brutalitatis Politiciorum

Primum

De quicunque Medicina

magis

ERASMI



*Maxime Reverende Vir.*

**N**eministi, qui *divinos Fontes* inspicis haud obiter, scrutaris non negligenter, & penetras ultra communem fortem: Novisti, inquam, pro insigni tua antiquarum rerum peritia, quantum intersit inter eum, qui vivum gustat fontem, & illum, qui rivum lambit. Tuo ingenio nunquam satisfecit vaga ac dubia rerum cognitio, quanto minus ambigua sacrorum scientia, quæ tantum abest scientia dici debeat, ut vix opinionis nomen mereatur. Certitudinem quæris, hanc venaris, hanc aucuparis, omnibus intensis mentis ingeniique nervis. Qui quotidie experiris, certitudinem dare menti animoque præsentiam, fronti lucem, ori promptitudinem, orationi robur, verbisque vim admirabilem. Certitudo sanguinem animat, spiritus vegetat, sermonem roborat, ut absque formidine agatur ac dicatur, quod vitæ genus imperat.

A 2

Quem-

Quemadmodum vicissim is, qui incertus est, hæret, fluctuat, ambigit, hæsitat, & suopte sensu tacito teste, trepidat, dicat agatve. Incertitudo & fluctuatio ingenium nebulis obvolvit, ut quo pergit, nesciat, nec gressum in tenebris cespitans videat. Ambiguitas spiritum enervat, animum frangit, præsentiam surripit, titubare jubet, & orationi animam atque vitam adimit. Fluctuans mente atque sententia, similis omnino maris fluctibus, qui sursum deorsum feruntur, perstrepunt, fremunt, inquieti, spumant jaætati, errant vagi, & vix ac ne vix quidem ratem ferunt, eique minantur sua inconstantia ruinam & abyssum. Sicuti in omni humanæ vitæ ambitu vir constans, sui est compos. Conscius, cur agat quod agit, conscientius quod bene recteque agat, non metuit, non vacillat, firmo stat talo, quo-cunque fortuna inclinet. Vir constans, vir est, masculi genii, quoscunque casus firmo excipit pectori, non cedit vento, non fortunæ ambiguitati, non fati asperi-tati: Æquo omnia fert animo, æque semper obfirmato corde. Constantia clypeus est, quo prompte excipiat cujuscunque fa-ti mi-

ti minas. Hæc magnum viro animum addit, ut nec sui, nec rei, nec fati sit immemor. Quid, inquis, meum celebras studium, meam effers sollicitudinem, meam in virtute contentionem? Quidni vero extollam pro dignitate virtutem, ubi deprehendo? Sine ergo in Te prædicare, ubi invenio: Nec enim ubivis obvia hæc animi præstantia, hæc genii dignitas, hæc constantia. Non amicitiae hoc dabis nostræ, sed sinceritati, sed veritati. Permitte, non te amicum, quanquam certissimum, sed amici virtutem, si non laudare, agnoscere tamen. Te oratorem sacrum suscipit & veneratur coetus, cum magnus, tum venerabilis: Quod tua oratio condita sit penetranti quadam convincendi vi atque virtute. Suades graviter, persuades facile, quia, quod suades, ejus certus es. Sin, profecto non persuaderes. Convincis, quia armis es instructus, conscientius, rem, quam commendas, prorsus ita se habere. Hæc certitudo mirum quam pectori imprimat justam & sanctam parresiam, summeque laudabilem animose dicendi audaciam, omnis metus expertem. Unde vero hæc tanta animi in dicendo docendoq;

A 3

præ-

præsentia , unde hæc Tua frontis atque  
 oris serenitas? Dicam , pro rei veritate di-  
 gnitateque: Quia rem, quam tractas, *Fon-*  
*tibus sacris* congruere nosti, Fontium pe-  
 ritus. Horum fide, horum luce, horum  
 virtute, tuum constat robur , tua oris ani-  
 mique serenitas, tua vis. Non ab *interpretibus*  
 pendes, quorum ambiguam scis fidem.  
 Et vel optimus interpres ingenue fatebi-  
 tur, se mille locis nec pervidere nec pene-  
 trare, quo tendat autor. Nec dignus *in-*  
*terpretis nomine*, nisi, ut recte fit, veniam  
 roget, à lectore attento, si interpretatione  
 non ubique satisfactum sit autoris menti.  
 Nec homo est, qui vel tenuissimi scriptoris  
 mentem plene assequatur: Non tam culpa  
 lectoris, quam ipsius orationis , quæ eam  
 naœta nondum est perfectionem, ut satis  
 semper sit perspicua & clara. Nullum huma-  
 num scriptum ea circumspectione exarari  
 potest, quin lectorum plures alicubi hæ-  
 reant. Idque non scribentis vitio , sed  
 linguæ & sermonis. Magna enim &  
 nunquam satis explicanda adhuc supereft  
 humani eloquii imperfæctio. Mens infi-  
 nita capit, sed sermo finitos habet cancel-  
 los. Verbis igitur vulgaribus res non  
 vulga-

vulgaris exprimenda , profecto hōc pericolo , ut lector ex verbis vulgaribus rem æstimet vulgarem . Nec cujusquam oculi tam sunt aperti , ut sub verbis apertis in-exhaustam pectoris & sribentis abyssum penetret . Proinde , cum sermo quotidianus non possit non adhiberi ad designandas res non quotidianas , lectorum vulgus paritatem rei & verborum momento auguratur . Tam tenuis , tam imperfecta , tam parca haecenus , orationis humanæ ubertas ac quædam superfluitas , ut centena , millena , iisdem aut similibus verbis sint efferenda , natura sua dissimillima . Nec Argus lector , nec cui centum sint oculi , in tanta orationis humanæ , cum sit locupletissima , vera parsimonia , omnem dicentis vim pervideat . Quanto itaque celsiores res exprimendæ , tanto majus intelligendi negotium , cum verba non possint non esse sueta adeoque humilia . Humili itaque idea celsa imago effiganda . Vah , quæ res ingenii , in tanta rerum & verborum dissimilitudine rem penitus observare . Millies auguramus reætius , quam capimus . Ex qua sermonis humani imbecillitate atq; brevitate fluit ,

quod

quod pro rerum conditione orationis habitus a prudente scriptore summo studio attemperetur , accommodetur , ac s̄æpe velut contra sermonis naturam flectatur. Hinc est , quod a simplici oratione ad mille figuras via non pateat , sed aperiatur , sed quæratur. Quod enim communis sermo non sufficiat rebus & affectibus exprimendis , subsidium in figuris , symbolis & verborum velut ænigmatibus quærendum. Sermonis penuriæ hoc primum debetur. Nec figuratus iste sermo omnibus statim obvius. Figuris plerisque , & ab invito autore , nil nisi nebulæ orationi inducuntur. Clarius effari nequit , quod verba desint clariora , & aptiora. Cogitur autor , si vel nolit , cum dicere debeat & verbis uti suetis , in aliud sensum verba usitata deflectere , & in figuram pertrahere. Dandum hoc humanæ imbecillitati & sermonis imperfectioni. Quamobrem , non mirum , quo res sublimior atque a sensibus nostris remotior , tanto orationem esse a sensu & intellectu communis remotiorem : Cum verba popularia applicanda fuerint rebus a populo remotissimis , adeoque a communi usu fere abstra-

abstrahenda. Dolendum itaque, & hu-  
 mani eloquii, vel diffusissimi, tenuitas at-  
 que imbecillitas deploranda, quæ non  
 permittit, ut pro rerum numero & verba  
 numerentur nova. Res plures, verba sunt  
 pauciora. Unde infinita & in ipso vulgo  
 æquivocatio, inexplicabilis infinitarum  
 vocum, ne dicam formularum & phra-  
 sium, ambiguitas. Tanta profecto, ut vix  
 vox sit, quæ non multa significet. Vir sit,  
 ausim jurare, qui vel minimum scriptum,  
 ex dicta ratione, plene intelligat. Fit hoc,  
 ubi & dicens vel scribens & legens, eâ-  
 dem vescuntur aura, eodem vivunt anno.  
 Quid non fiat, si ab autoris ætate, anni,  
 secula elabantur? Quid non fiat, ubi ex  
 remotissimis regionibus scripta apportan-  
 tur, sub diversissimo cœlo, diversissimis  
 hominum moribus adornata? Unde pro-  
 fecto est, quod quisque videt, quod veter-  
 um scripta, Romanorum, Graecorum,  
 vix sœpe ac ne vix quidem intelligantur.  
 Hinc est, quod notis & commentariis  
 aliquantulum saltem lucis affundere co-  
 nati innumeri, sine fine. Necdum ulli  
 autori veteri factum satis. Obscuritas re-  
 sidua nova subinde postulat ex novis no-  
 tis

tis lumina. Nec Virgilium , nec Horatium , quos a pueris ad unguem tenemus , tenemus , sine notarum commentatio-  
numque adjumento : & nihilominus mil-  
lies nondum tenemus , nec enim ubi &  
quomodo teneri debeant videmus. Quod,  
obsecro , humani sermonis fatum ! Illa  
hora , qua adhibetur , vix & a familiaribus  
capitur: Anno proximo difficilior: secu-  
lo sequenti obscurior : In remoto solo ,  
sine sole pene ac lumine. Donec tan-  
dem velut noctis caligine tegatur ac pro-  
pe sepeliatur. Ciceronis epistolas intel-  
lexere familiares & amici , & forte non  
semper. Nos familiariter illo usi , tam  
familiares non sumus , ut absque inter-  
prete audiamus. In cineres abiit orator ,  
orationi itaque cineres adspersit , quos  
tenerent ac in oculis haberent posteri.  
Quantus , obsecro , labor , ut a tam clari-  
ris hodie detergantur epistolis. Par ra-  
tio veterum omnium. Et pacta , foedera ,  
formulæque publicæ pacis , quondam ,  
dum fierent aut scriberentur , clara , u-  
trinque intellecta: seculo altero utrinque  
hæretur , ambigitur , disputatur , con-  
tenditur , bellum de sensu geritur. Et  
illo

illo ipso die aut anno, hodienum, dum  
 verba vix ac ne vix quidem concepta,  
 ac pax illis parta, de sensu passim dubi-  
 tatur, disceptatur, & prehensis armis  
 quæritur. Hæccine humani sermonis,  
 hæccine scripti vis, ut exarantium men-  
 tem animumque diutius continere ne-  
 queat, ut brevi post expirasse & velut ex-  
 ulare vel profunde latere videatur? San-  
 guis citius commentetur, & ferrum sen-  
 sum detegat, quam ater color chartæ il-  
 litus. Quod si humanis & civilibus hoc  
 evenit scriptis, ut & res & ætas caliginem  
 inducant, quid non accidet divinis? Ne di-  
 cam ipsammet *Hebræam dialectum* a nostro  
 ore & genio remotam, adeo oblivioni  
 tot seculorum lapsu esse traditam, ut vix  
 ac ne vix quidem tenues voculæ plene  
 recteque intelligantur. Quam quæso  
 egena & miseranda nostra Lexica? Quis  
 infinitam Lexicographorum fluctua-  
 nem non deploret? Quis eorum auguria,  
 hariolationes & meras conjecturas non  
 doleat? Vah, quantum est quod restat?  
 Quid dicemus de toto orationis habitu,  
 qui, in oriente natus, occidenti non  
 congruit. Dissimilis plane color. Et  
 ipsa

ipsa sua dissimilitudine nobis plane peregrinus. Quid fiet de rerum sublimitate & summa dignitate, verbis populo suetis expressa? Quantus figurarum decor? quanta majestas, sed & peregrinitas? o bone, quam longe hæc a nostris moribus ac nostro captu remota! Quam vetusta dein, quot denis, vicenis, tricenisis seculis a nobis sejuncta? Vah, quæ illos dies longa exceptit nox? Quantæ tenebræ tegunt abyssum? Testes nos omnes, qui Fontes inspicimus, Tute, egomet, veteres, nostri, quibus oculi non hærent in calcaneo. Et oculatissimos misere queri audimus. Tantoque indignatio vehementior, quanto studium ardentius & desiderium cognoscendi flagrantius. Testes profecto commentariorum in Fontes sacros, non coetus, sed agmina, sed exercitus, sed montes, Alpibus celsiores. Et in tantis cumulis aggeribusque nec tantum sit luminis? Cum finis nec sit commentandi, nec esse possit, luce subinde majoris desiderata. Bonae Deus, quam arduum Fontium studium, quam difficile interpretandi negotium! Lucem affundat, pro tenebris dispellendis, quam

quam nec pervideat, nec prehendere possit,  
aut advehere, vel nec oculi ferant. Quis  
in tanto tamque profundo & inexhausto  
vetustatis, facerrimæ & adorandæ anti-  
quitatis mari, ex fluctibus emergat, quis  
nubes dispellat, quis radios advocet? Ra-  
dios, inquam, nec enim solem in tempe-  
state videre datur; Radii sufficient. Sed  
nec solem nostri ferrent oculi, qui ætate  
& senio caligare videbuntur. Dandum  
itaque interpretibus & ignoscendum, sic  
ubi, & mille locis, non attingant metam,  
non pervideant scopum, non mentem ca-  
piant. Non indignandum his, condonandum  
potius ætati & temporis ab auto-  
ribus illis remotissimo. Non expectabi-  
mus a quoquam Interpretum, nisi ratione  
destituti & sensu communis, ut assequatur  
vel omnia vel pleraque. Potioribus ac-  
quiescendum, & quovis seculo suis gau-  
dendum radiis, suis longiusculis terminis,  
si non datur ultra. Nostra modo hæc ma-  
neat ingenua & sincera confessio, non o-  
mnia constare. Restare multa, magna.  
Posteris superesse innumera: Et nec illis  
unquam omnia fore patula. Mansura cen-  
tena millena tecta atque sepulta. Infuca-  
tabo-

ea boni erit Philologi confessio , plerorumque & potissimum inscitia . Desiderium lucis , gloria erit non postrema . Interea , non desides dormiemus , sed oculis utemur , dum divinitus dabuntur . Te beatum , qui *Fontes indefinenter consulis , qui bos scrutaris , hinc vitam hinc lucem expeditas* . Te felicem , qui *Fontium sacrorum beneficiorum divinas firmiter comprehendis* . *Hinc* , qua polles , orator , serenitatem ac in dicendo vitam nae<sup>t</sup>us : *Hinc* aculei , quos pectoribus infigis auditorum , quibus trahas quo libet . Et me , pro officio , eidem studio natum ac deditum nosti . Quanquam lubens fatear , pro studio , quod impendo indefessum , me non fatiari , nec assequi , quae debebam , non dicam omnia , sed posteriora . Non melior patribus . Unde admodum sum difficilis , aliorum peritorum Philologorum exemplo , in promenda *Fontium sententia* , nec nisi vel jussus , vel invitatus , vel tractus huc accedo . Premlubens , dum par est , donec sit qui commoveat : Conscius , tantillum lucis parum juvare , & caliginem saepe salubriorem vel securiorem illis , qui lumen vix ferant . Cujus rei exemplum habes in *Epistola ad*

*ad Noltenium*, quem nosti. Extorta nuper, cum de sensu loci Gen. II, 19. 20. ab aliis quæreretur. Typis imprimi sivi, quod essent, qui urgerent, aliisque gratam fore dicserent. Dedi hoc amicorum voluntati, quos audire oportet. Huc in Mariæbergensis nostri Cœnobii negotio heri digressus, nonnulla exempla apportavi, Viris illustribus destinata. Quod igitur hodie, post meridiem, rebus illis confectis, horulae superessent, umbram hanc vespertinam, otii pertæsus, recte collocandam putavi, Tibi in vicinia, Exegetæ præclaro, Epistolæ exemplum missurus. Perquam accepta manus erit, quæ Tibi has tradet, scio; Quidni ergo manum utriusque pari accipies affectu? Vale ac feliciter vive.

Guelferbyti, d. 24. Febr.

A. 1705. h. xi. p. m.



1. **Exodus** 20. 1-17. **Leviticus** 1-26. **Numbers** 1-36. **Deuteronomy** 1-32. **Joshua** 1-24. **Ruth** 1-22. **Samuel** 1-31. **King** 1-22. **Chronicles** 1-22. **Esther** 1-10. **Psalms** 1-150. **Proverbs** 1-31. **Ecclesiastes** 1-12. **Job** 1-42. **Isaiah** 1-66. **Lamentations** 1-5. **Hosea** 1-14. **Joel** 1-3. **Amos** 1-9. **Obed** 1-4. **Obadiah** 1-4. **Jonah** 1-3. **Micah** 1-7. **Zephaniah** 1-3. **Haggai** 1-2. **Zechariah** 1-14. **Malachi** 1-4. **Matthew** 1-28. **Mark** 1-20. **Luke** 1-24. **John** 1-21. **Acts** 1-28. **Romans** 1-16. **1 Corinthians** 1-16. **2 Corinthians** 1-13. **Galatians** 1-10. **Ephesians** 1-16. **Philippians** 1-6. **Colossians** 1-4. **1 Thessalonians** 1-5. **2 Thessalonians** 1-2. **1 Timothy** 1-16. **2 Timothy** 1-10. **Titus** 1-13. **Philemon** 1-10. **Hebrews** 1-13. **James** 1-15. **1 Peter** 1-11. **2 Peter** 1-11. **1 John** 1-5. **2 John** 1-1. **3 John** 1-1. **Jude** 1-1. **Revelation** 1-22.

Cholesteatoma of the Ear














the scale towards document

ec prehendere possit,  
oculi ferant. Quis  
fundo & inexhausto  
& adorandæ anti-  
tribus emergat, quis  
radios advocet? Ra-  
nim solem in tempe-  
radii sufficient. Sed  
ent oculi, qui ætate  
ebuntur. Dandum  
& ignoscendum, sic  
on attingant metam,  
im, non mentem ca-  
andum his, condoni  
& temporis ab auto-  
no. Non expeßabi-  
rpretum, nisi ratione  
muni, ut assequatur  
ue. Potioribus ac-  
ovis seculo suis gau-  
ongiusculis terminis,  
lostra modo hæc ma-  
era confessio, non o-  
stare multa, magna-  
numera: Et nec illis  
batula. Mansura cen-  
que sepulta. Infuca-  
ta bo-